

borant: cum interea Dominus somnum electis suis concedit, Psal. 127. a. 1. Neque tamen propterea ignavia indulgendum. Sed qui operibus suis manum admouēt, scientes irritum & nihili fore laborem suum nisi à Domino benedicatur, successum à viribus suis non sperent. Neque enim in tibijs viri beneplacitum est Domino, Psal. 147. b. 10.

Deut. 11. d. 26.

Artic. 36.

Annotatio, Benedictio obedientibus, maledictio non credentibus. Bibliis 1528. 1532. 1540. 1546.

Censura, Vtraque annotatio in se vera est: secūda tamē male applicatur textui, quia loquitur ibi textus de operibus. Annotatio autem tribuit peccatum soli infidelitati, conformiter ad Lutheranos, ponentes peccatum duntaxat in infidelitate, vt e contrario, Omne opus bonum in sola credulitate collocant.

Agnosco lapsum incuriæ, quòd participium vnum, alterius loco positū est, sed vicissim agnoscant in censoribus Lectores amarulētia virus. Ex priore antitheto mendum in altero corri-